Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 14. Novembris.

M. FRANCISCO LERAT, Doctore Medico, Præside.

An rejicienda quælibet nutrix, cui fluunt menstrua?

PARUM esset fœtum mirâ arte & industriâ conformatum elaboratumque in lucem emergere, si sibi relinqueretur soli, nudus, inermis, omnium inops, vesci, fari, ingredi nescius, ac infinitis propemodùm incommodis objectus. Effracto uteri carcere (malum) nondùm liber, sed quasi reus supplicio destinatus, coævis placentæ vinculis adhucdùm tenetur, quibus suâpte vi vix ac ne vix quidem exolvi unquam potest. Quam à vagitu futurorum præsagus auspicatur vitam, gemitu, ipsoque in limine clauderet terris vix ostensus, nisi suam illi operam quamprimùm præstarent parentes, aut conductitiam procurarent. Beneficii itaque & gratiæ loco primùm expectat, ut umbilicali expediatur funiculo; vino vel oleo eluatur; fasciis nec laxioribus, nec arctioribus involvatur. Alterum est, ut aëri nec frigidiusculo tepens ab utero corpusculum exponatur, ne patentes poros altiùs subeat inimicum frigus; nec calidiori, ne vel plus æquò resolvat, vel humores liquet, moveatque in pectus. Temperatus sit ille, ad calorem tamen nonnihil devergens. In cubiculô lucidiori si decumbat, insolito splendore læduntur imbecilles oculi. Luci obliquè si obvertatur, strabismus in propinquo est. Cavendum præstereà ut eo collocetur situ, qui nec pronus sit, nec supinus; in alterutrum latus conversus & capite parùm elato, spirat commodiùs. Piceum excrementum quod Meconium vocant, nisi citò secedat, arte educendum. A vetularum eorumque potissimùm quibus anima fœtet, osculis summovebit, quisquis vix aliud fascinum eô potentius esse norit. Quid adeò multa? alimenti necessitas urget: Nutricem elige, & offer actutùm, eâ tamen lege ut optimô syncerôque lacte abundet.

TENERRIMUM ac penè cereum recèns nati infantis corpus ad quasvis mutationes proclive est, variumque, pro diversâ cœli, ac soli conditione, & disparili ventorum flatu. Austrô mollitur, & languescit: Aquilone induratur, & viget. Sed quantulæ istorum vires, si cum alimentis conferantur, quorum accessione corporis moles augetur, & quorum odor saporque interdùm asservantur etiàm in excrementis, quæ per alvum, vesicam, atque habitum feruntur. Ut consuetudo, ita & nutritio, altera quasi natura est, vel novam inducit. Fidem faciunt arbores & stirpes quæ nativô è solo in aliud exportatæ insitæque, ob aliam novorum, quos è diversâ terrâ suscipiunt, succorum indolem, lætiùs infeliciusvè aluntur, & crescunt, suique tandem vix similes manent. Lactis magna præ cœteris alimentorum generibus efficacia, quòd multiplici nomine, & modô lactentem afficiat, & aliorum admixtione non frangatur. Hinc est quòd ejus quam cœterorum ciborum vitiis longe citiùs mulctetur innocens infans, ac quicquid delitat nutrix, statim ille plectatur, aphthtis, vomitionibus, diarrhœâ, torminibus, convulsionibus miserabiliter jactatus, ejusque nativa temperies quantumvis sit legitima, & concinna conformatio facili negotio infringatur & pervertatur. Nova veluti fit generatio, & insitionis quædam species, non absimilis ei, quâ videmus insita mala ferre pyrum & prunis lapidosa rubescere corna. Vitiatæ autem corporis constitutionis non rarò luit pœnas animus crudelior factus, aut ad vinum, venerem, aliudve vitium propensior. Adeptio ac amissio cujuscumque habitus penes corpus tantùm stat: sicut cerebro male affecto ac spiritibus caliginosis factis, phantasmata deficiunt aut distorquentur, sic corpore teterrimis succis farcto eximii depravantur mores.

NUTRICEM plurima apud vulgus commendant, color faciei suavis & roseus, etiàm subniger, potissimum in capillis: Dentes candiduli, non labantes, non putridi, aut ex intervallis dolentes: oculi venusti, non lippi, non lusci: Nativa mundities, ac modestia cum hilaritate conjuncta: ætas vegeta quæ annum attigerit vigesimum, nec trigesimum quintum superarit. Sed ad nutricis laudem præsertìm facit, quòd legitimam sortita sit corporis temperationem, staturam parvam potiùs quàm proceram, habitumque nec gracilem nec obesum: nec aborsum passa: nec eligatur statìm à partu, ne cum colostro vitus præbeat. Belle appetat, nec tamen indulgeat gulæ. alvi sit nec pigrioris nec citatioris. Pectus insuper ostentet amplum, mammis, nec pendulis, nec flaccidis, sed mediocriter turgescentibus ornatum: Duriores puero præ dolore fastidium pariunt, & nasi figuram deformant: minores non satis capiunt & asservant lactis. Suspectæ etiam ampliores, an quia ob carneam molem, vel humidiorem temperiem, vel salacitatem nutricis, vel pulmonis æstum, humorum ve eas in partes confluxum, sæpissimè plus æquò intumescunt? frustra verò inquisieris in alias mammarum dotes, nisi apta ex iis papilla emineat: brevior, crassiorve apprehendi vix potest: Longior linguam & palatum sugentis offendit. Lactis etiam illinc extillantis ductus si pateant nimis, ex copiâ suffocationis est metus: si minùs, laboriosior suctus. Rustica, urbanave sit, primipara necne, fœminam pepererit, an marem, parvi refert. Quid & quantum lactis habeat, potius expende; nec exuperet, nec deficiat; copia nutricem exhaurit; Infantem conficit penuria: coloris sit albi, vel coerulei: odoris & saporis vel nullius, vel grati: substantiæ æquabilis, quam explorabis lacte in speculum vel unguem instillato: crassius caseosum est, coctu difficile & ad Epilepsiam infantem inclinans: tenuius diarrhœam & atrophiam parit, quibus adeo egregiis tùm lactis tùm nutricis dotibus quandoque non adversatur periodica menstruorum evacuatio.

MENSTRUI circuitus idem non rarò, quod pubertatis initium: multò magis diversus & incertus finis: illius duratione concipiendi gerendique fœtus habilitatem ne circunscribas. Nondùm menstruata interdùm fit mater, ejusque uterus priùs impletur homine, quàm erumpente sanguine cruentetur. Nec, etiamsi à conceptu, & per lactationis tempus, menstrui plerumque fiat suppressio, ex eô fœtum & fingi, & nutriri in uterô putes. In genere animantium, quæ vivos edunt fœtus, eadem est horum formandorum alendorumque materia: sola tamen mulier, si simiam exceperis, animal menstruale est. Eundem in cœteris animantibus gigni quidem, & congeri sanguinem, qui singulis mensibus, ut in mulierum genere, non excernatur, sed absumatur in pilos, nugæ. Hirsutæ sunt & simiæ, quæ purgantur. Ex humore multò puriori coagmentantur vivuntque fœtus. Virus ille est, quô nisi repurgentur matres, cùm ipsæ, tùm conceptus miserè inquinantur. Hinc nihil mirum, mulieres interdùm peperisse, quibus nunquam unquam menses fluxere; quos qui sanguinis exuperantiæ, vel desidi mulierum vitæ tribuit, naturam ignorat. Amazones, rusticæ, imbelles, quadratæ, ac penè exangues, iis promiscuè laborant. Nimia saltem & plenitudo, & desidia ejusmodi fluxum, vel sistit, vel retardat. Deinde si totius est illa corporis, cur eô imminente, non universum corpus, sed unus fere uterus dolet? cur ejus tantùm ac lumborum gravitas & tensio? cur totus in eum sanguinis redundantis impetus? cur illac potiùs quàm per alias partes longe teneriores, faciliusque cessuras, fit eruptio? alia certe est hujusce menstrui circuitus ratio: extra uterum non quærenda. Occulta ne qualitas ipsi insita? an salina potiùs substantia fermenti æmula, quæ sensìm à sanguine secreta, & uteri jam grandioris peculiari fibrarum plexu intercepta, statis temporibus & periodis turgescat, ac reseratis divinæ illius favissæ ostiis, unâ cum ebullientis sanguinis spumâ, foras prorumpat. Ut cœteris partibus, sic & utero sua inest singularis conformatio, propria textura, & peculiare fermentum, quô factâ humorum despumatione, non ipse duntaxat, sed & reliquum corpus purgatur. Unde longè perfectior & felicior, quæ menstruam purgationem excipit, conceptio. Tot ac tantis plerumque scatet impuritatibus mulierum sanguis, ut ejus defœcationi sæpissime non sufficiat menstrua evacuatio, & non rarò accedat fœdior ac tædiosior muliebris fluxus, quô eæ vulgò corripiuntur, quæ alterius beneficio non fruuntur, alias hystericis affectionibus, picæ, malaciæ, aborsui, hydropi, ictero obnoxiæ, & in summum vitæ discrimen adducendæ.

MENSTRUAM illam perniciem ad mammas statìm à partu ferri, & in lac recèns nati infantis alimoniam facessere, commentum. Lac certè ex chylo, quem illius subjectam ac proximam esse materiam abunde testantur diuturna infantis suctio citra lactantis lipothymiam & in lacte superstites alimentorum odor, color, sapor, & catharticorum vires. Is verò peculiarem sibi viam non terit, sed sanguinis commeatu ad mammas deportatur. Chyli autem cum sanguine permixtio fieri nusquam potest, quin ille hujus vitia, vel dotes contrahat. Hinc est, quòd ubi invadit menstrua purgatio, ex eâ lactentes pueri aliquid detrimenti capiant modò levioris, modò gravioris, prout benè vel malè moratas sortiti sunt nutrices. Nec idcircò quælibet huic fluxui obnoxiæ sunt respuendæ; eæ scilicet permagni sunt usus in quibus vix mutata lactis indoles levissimam iis infert alterationem. Hæres anxius? subdoli istius virus metuis minutias? Expurgatâ humorum colluvie, nutrix multo alacrior & expeditior evadit, & puer nitidiori vescitur alimento, feliciusque adolescit. Eumne istius virus blanda pernicies insidiosè aggressura est? Quantò major pertimescenda, ubi lactans cui non fluunt menses, ipsi offertur. Nunquid minor ea est quæ uno aut altero cujusvis mensis die, quam quæ quotidie & singulis pene horis objicitur? Virus menstruum per lactationis & gestationis tempus non impune latet in corpore. Nisi certis temporibus excernatur, in dies crescit, serpitque longius, & sanguinem chylumque simul admixtum corrumpit, tineâ, ichoribus, variolis & morbillis eò acerbius grassaturum quò diuturniorem moram traxerit. Quisquis verò nutricem, periodice repurgari solitam elegerit, non solùm ab horum affectuum vehementiâ, sed etiàm à symptomatis longe gravioribus, quæ tacitos & astutè dissimulatos quarumdam nutricum morbos consequuntur, lactentem vindicarit. Cœca enim illa vitia imminente eruptione, aliquot se produnt notis, quæ si non clarè omninò in istis mulieribus, saltem in pueris tenerioribus, diarrhœâ, convulsione, &c. prehensis, factâ deinceps eruptione, manifestò declarantur. Occulta illa nutricum vitia nusquam ex lactis substantiâ, corporis habitu, pilorum & cutis colore, exploraris. Quam multæ enim intus sordent, quæ foras splendent! Rem multò tutiùs gesseris, si nutricem obtuleris periodicè menstruatam. Ea ut laudabilioris sanguinis, sic & syncerioris lactis certius præbet argumentum.

Ergo non rejicienda quælibet nutrix, cui fluunt menstrua.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Iosephus Thomasseau.
M. Ludovicus Poirier.
M. Petrus Bonnet, Scholarum Professor & Familiæ Reginæ Francorum Medicus ordinarius.
M. Ioannes-Baptista-Renatus Moreau.
M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus le Comte.
M. Petrus Cressé.
M. Antonius-Ioannes Morand.
M. Alexander-Michael Denyau, Professor Regius.

Proponebat Parisiis PONTIUS MAURIN, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1680.